



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Galeoti Martii Narniensis De Homine Libri Dvo**

**Galeottus <Martius>**

**Basileae, 1517**

Mammae

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31834**

GALEOTTI MARTII NARN.

Octipedis frustra quærentur brachia cancri.

Brachia igitur hominis inuersa retroq; pendetia, cancro, rum brachia prefigurant. Hæc igitur ex influxu & potestate sua, illius animantis nomen gesserunt, cuius in apotelesma te repræsentant similitudinē. nam omnibus animaduersis nullum in terris animal omnimodam gerens potestatem, signis cælestibus cōparabitur, nisi id cuius nomē gerit. Sed latius uagati sumus q; opus esset, ad institutum igitur nostrum reuertamur. a proposito enim nostro est alienum, signorum nomina excutere. Sed alias dicendum de hac re cœleo, cum Astrologiam, ad latinitatem reuocabimus. est en nobis in animo cum absoluuerimus comentarios in Vergiliūm: scribere in Astrologia, & barbarie qua omnes fere astrologi nunc imbuti sunt, penitus delere, docereq; omnes, latinā linguam non indigere in omni disciplinarum genere barba ris uocabulis.

## MAMMÆ

Mammæ



N pectora ut dixim⁹ mammæ sunt. Iuuinalis,

Et nuda teneat uenabula mamma.

Et in moreto

Pectora lata tument mammis.

Mamma

Licet mamma dicatur plerunq; nutrix. Persius,

Et iratus mammæ, lallare recusas.

Plautus in Mustellaria. & quid tibi uideor mamma. Idem in eodem. tun uis mea mamma adesse. māmæ uero probe ribus ab antiquitate uocatae sunt. Martialis primo.

Tata.

Mamas atq; tatas habet Afra, sed ipsa tatarum

Dici, & mammarum maxima mamma potest,

intelligendo

intelligēdo Tatam quoq; nutricem significare. A mamma Tata.  
mammilla diminutiuum, Iuuenalis, Māmilla

Recta facie strictisq; mammillis.

Dicitur etiam papilla ob quandam similitudinē. Est enim Papilla:  
papilla, illud quasi tuberculum quod lactentes pueri ore ca-  
piunt, papilla dicta quasi parua papula. Et ideo saepe papil-  
la p tuberculo, morbo, & cōdylomate reperit. Q. Serenus.  
Excruciant turpes anum si forte papillæ.

Id est, paruae papulæ. Vergilius undecimo,  
Hasta super dextram donec perlata papillam  
Hæsit. Catullus,  
En hæc in roseis latent papillæ.

pro tuberculo mammarum. Sed olim mamma rumen uo- Rumen:  
cabatur. Plinius quintodecimo naturalis historiæ. Quoniā  
sub ea inuenta est lupa infantibus præbens rumen, ita uoca-  
bant mammam. Sed superius diximus rumen partem gut-  
turis dici. Vnde rumino descendit, quod ratione non caret. Rumino  
nam rumen mamma quasi sumen dicitur. Sumen autē est Sumen,  
uber a fugendo, ut inferius cum de interiore homine dice-  
mus, late patebit. S, em & R, inuicem sibi cedunt. Vnde ru-  
stici, ut ait Festus, hædos adhuc lactentes subrumos dicunt. Subrumi  
A papilla expapillatus dicit, teste Nonio, qui allegat Plauti  
textum in Milite glorioso, Expapillato brachio, pro usq; ad  
papillam nudato.



## ALAE

LAE sub humeris sunt & in homine uestiuntur Alæ.  
pilo. Plinius undecimo naturalis historiæ. qd'  
titillatur maxime intelligit alarū, quas subit, non  
f , alibi